

PHILOSOPHIAE NATVRALIS
SIVE
PHYSICAE
DOGMATICAE

TOMVS IV. ET VLTIMVS

CONTINENS

BOTANOLOGIAM PHYSICAM,
ZOOLOGIAM,
ANTHROPOLOGIAM GENERALEM,
PHYSIOLOGIAM ET PATHOLOGIAM
PHYSICAM

HOC EST

HERBARVM, ANIMALIVM ATQVE HOMINIS
SCIENTIAM.

TANQVAM

CONTINVATIONEM SYSTEMATIS
PHILOSOPHICI

CHRISTIANI L. B. DE WOLFF,

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARII INTIMI,
FRIDERICIANAE CANCELLARII ET SENIORIS ETC.

AVTORE

MICHAELE CHRISTOPH. HANOVIO,

GYMNASII ACADEMICI GEDANENSIS PROFESS. PHILOS.
EIVSDEMQUE BIBLIOTHECARIO.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA
MDCCLXVIII.

ximum quadrupes, oculis parvis, exsertis dentibus laniariis superioribus (qui ebur præbent), auribus amplissimis pendulis dentatis, cute crassissima callosa, mammis 2 juxta pectus, collo brevi, genubus flexilibus, unguibus in apicibus loborum pedum. Proboscis quaquaversus extensilis acute odoratur, cibum potumque haurit & hostem pellit, qua præcisa moritur, ut & furiosis vulnuscule inter axem & atlantem. Retro pudicus in abditis locis coit & mingit, prudens & docilis portans onera ingentia ac domus cum militibus in prælio, rectore collum insidente, & falcibus in hostem armatur: quare jumentis annumeratur. Pascitur frumento, ramis, nucibus cocos, Guilandinæ feminibus. *Kleinio* est quadrupes pentachelon, quia plantæ sesquipedalis diametri ungulæ anteriores solidæ leviter quinquefidæ sunt in 5 ungulas minores, posteriores sesquipedem longæ, unum latæ, ungulæ similes quaternæ. Maris dentes exserti sursum reflectuntur, ut cornua; feminarum deorsum curvantur; Zeylanici minores dicuntur his dentibus exsertis per omnem vitam carere & mansuescere. Vita elephantum tria sæcula excedere fertur, & dentes reperti sunt molares diametri 12'', altitudinis 6'' ponderis octo majores 24 librarum; exserti mediocres 8' longi, 6'', 42 libras ponderantes. Vid. *Sloanes Elephants Teeth found under Ground, Transact. N. 403. & 404.* Majores exserti 13½ pedes longi, 6'' crassi, 137 libras pharmaceuticas pondere superantes, immo 160 ad 200 ℥; & vocantur in Siberia dentes Mammoth. Sic cranii pondus fuit ultra 130 ℥ pharmac. longitudo 48'' latitudo 29½'' londin. & os femoris 38½'' longum, perimetri 13'', ponderans 21½ libras dictas. Quæ comprobata dedit *Cel. Breynius Philos. Transact. No. 446. p. 124. sqq.*

§. 464.

De Rhinocero.

Rhinoceros belua est supra nasum crasse cornuta. *Linneo* dicitur glis (§. 802.) cornu nasali. Statura circiter elephantis

phantis cornu conico solido recurvo perpetuo in rostro, capite fere apri suillo, sed ore equino labio superiori adunco & in acumen flectendo pro alimentis captandis, oculis in media facie parvis, auribus asini; corio fusco crasso nudo transverse & circa articulationes colli, scapularum, abdominis & femorum, valde rugoso; ungulis 3; cauda femore breviori attenuata & in extremo tantum hirta. Animal mite (non tamen jumentum, arduis laboribus aptum) victitans vegetantium copia vepretum inprimis, & ceno se volutans, elephantis raro antagonista vincens. Longitudo ætatis anno 16 pedum 22, altitudo ultra $5\frac{1}{2}$ pedem, crassum in abdomine 4 pedes. Pedibus utitur crassis brevibus ungulis antrorsum trilobis, quibus velociter currere valet. Fertur natare, & more anatum in aqua mergi, ponderare 5000 libras, & quotidie ultra 50 libras fœni &c. devorare. Cum id viderem unicornu A. 1747, cornu illi erat ademtum, ut non nisi truncus brevis restaret obtusus, forte ne stabulum & caveam ferream demoliretur. Integrum nigrum cornu aliud pedem circiter longum, nitens, & in basi 6 pollices crassum osse durius erat, in rotunde obtusum extremum desinens. Plerumque est unicornis rhinoceros inter nasum oculosque, dantur vero & bicornes, ut naso propius 2', superius supra oculos unum pedem longitudine assequatur, & intervallo $2\frac{1}{2}$ pollicem distita sint, quæ delineata *Kleinus* exhibuit. *Parsonius* tamen super corio proboscidis duo offendit propemodum æqualis longitudinis, circiter 25'' londin.

Ostendebatur Gedani A. 1757. Cranium prope oppidum Mevense imbre forti in monte arenoso detectum ponderans 65 libras, longum $2\frac{1}{2}$ pedes parisienses, latitudo media ante foramina oculorum $12\frac{1}{2}$ '' , altitudo superior 11'', pro quo oblatos 50 thaleros accipere detrectaverat possessor. Ex proportionem foraminum nasalium & ocularium, & intermedio gibbo 6''' alto, 5'' longo & lato, rhinocerotis id esse judicavi, cum & foramina

(*Wolffii Phys. Tom. IV.*)

M m m

mina

mina dentium ei responderent & reliqua proportio cum rhinocerotis corpore, & Parsonii descriptione conveniens, non cum hippopotami dentibus &c. Conf. *Obss. Ged. mens Mart. & Aprili A. 1757.* Videtur Rhinoceros esse Hebræorum *דגל*.

§. 465.

De camelis.

Camelus est belua longi pedis & colli, vel jumentum plerumque bajulum ac gibbum, h. e. tubere vel topho notatum. *Kleinio* dicitur quadrupes pilosum viviparum didactylon ruminans, cujus fissâ (bifida) superne ungula, infra pelle cohæret, ut pes vestigio sit carnosus, mares in adversum mingant ob genitale inter crura posteriora caudam versus spectans, feminae in ventre habeant binas mammas at papillas quaternas, crura perplexa. *Linnaeo* autem est pecus dentibus superioribus primoribus nullis, inferioribus primoribus 6 spathiformibus laniariis distantibus supra 3, infra 2, a molaribus remotissimis, pedibus ungulatis, mammis inguinalibus, labio superiori fisso. Genuinus camelus bajulus est triplex, spurius unicus. Genuini gaudent pelle pilosa, spurius vero laniger, oneribus portandis impar. *Arabicus* gibberus in desertis Africae arenosis & siticulosis habitans, altissimus beluarum unico dorso tubere (topho) instructus, callos habet in anterioribus pedibus 4, in posterioribus 2, in sterno 1, ventriculum secundum cellulosum pro aqua pura diu conservanda per loca siticulosa; onera portans lente festinat, lassus jacet in pectore, & ita decumbens quoque oneratur. *Bactrianus* tophis dorso duobus, dromedarius vel dromas a cursu celeriori dictus, rariorque bigibberus. *Glama* dorso lævi, topho pectorali, vel pectore gibba, camalus americanus zonæ torridæ, frigoris impatiens, qui tamen cicuratur, ut onera portet, per fatigationem succumbens, sæpe catochus obnoxius, vomitu hostem pellens. *Pacos* Peruanus tophis nullis corpore lanato subtus albus, cæterum sanguineus,